




16 88

HYPOMNEMATA POLITICA,
DE
RATIONE STATUS
PRÆSIDE
M. CASPARE ALEXANDRI
publicè disputabit
BOGISLAUS à SOMNIß
in Auditorio minori,
ad diem V. Octobr.

WITTEBERGÆ, Excudebat Johannes Hake, 1653.

88







HYPOMNEMATA POLITICA. De RATIONE STATUS.

I. **C**um honesta utilibus cedunt, ratio status vocatur. *Livius Lib. XX. III. c. XIV.* Nam sola virtute niti, nee possis ubiq; nec expedit. *Lucanus Lib. VIII. Pharsal.*

————— *Fatis accede Dei* —————

Et cole felices, miseris fuge.

Rohanxus Trutin. Stat. Europ. Principes subditis suis imperant; ratio status etiam Principibus. *Quanto autem princeps subditis suis est sublimior, tanto plus in cognitione status sui rationis, prae omnibus aliis ejusdem actionibus situm est.*

II. Ratio status alia perversa, alia recta est. Illa & scelera patrat; nec sibi putat turpe, quod aliis fuit fructuosum. *Vellejus Lib. II. c. III.* Hac non tota ab honesti tramite; sed in gradu saltem subsistit, & tempori serviens quiescit interea, dum utilitas Republica postulat. *H. Grot. Lib. I. de Jur. bel. & Pac. c.* II. n. I. *Hoc ipsum enim quod Honestum dicimus, pro materia diversitate, modo ut ita dicam in puncto constitue, ut si vel minimum inde abeas, ad vitium deflectas; modo liberius habet spacium, ita ut fieri laudabiliter, & sine turpitudine omitti aut aliter fieri posse; ferme, quomodo ab hoc esse ad hoc non esse statim fit transitus; at inter aliter adversa, ut album & nigrum, reperire est aliquid interpositum, sive mixtum, sive reductum utring.*

III. Principes connubia ex Potentia eligere, ratio status est. Ita Meleander in Barclai Argenide Lib. III. *Privatorum est, inquit, eligere matrimonia ex amicitia affectu vel morum concordia. Nobis illa suavitatis exuenta. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exos per sancta ipsa fædera conjungant; nunc omnium nexum jura, omnisq; sanguinis charitatem inhumana necessitas*

————— *A* —————

negat.

negligae. Charissimus esse solet, qui utilitate precipua potentiam nostram alit; & affinitates pulcherrime censentur, quaecunq; regna stabiliunt. Reclam, dum non excludant candorem ac fidem. Impie vero ista, quæ subjicit. Scio a regibus filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitia specie volunt, vel ad tempus placere; nihilq; deinde suis sanguinis pignoribus, nihil nominum quæ mutuo inserviant reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ estimare ingenio.

IV. Cum hoste quoq; pacem sancire Infantum matrimonii Principes, ratio status est; Si forte ex summa injuria magna oriantur gratia. Gramondus Lib. I. Eo anno confirmanda Gallos inter & Hispanos pacis, proponitur sedis inter utramq; gentem; si dei pignus, matrimonia duo, queis Ludovicus Anne, Philippus Elisabethæ sociantur. Et Lib. XIII. Idem caput Restitutioni Friderici Palatini adjectum memorat: Si Friderici Filius, futurus ex pacta Restitutione Palatinus & Elector, filius Imperatoris nupserit; intereaq; dum adolescat, si in aula Imperatoris educabitur.

V. Ratio status est, Reginas Virgines abstinere à matrimonio. Ne dum indulgent ibi, amore populi excidant. Camdeus. Lib. III. Hist. Inter difficillimas has de nuptiis cogitationes, in quas temporum ratio ex quadam necessitate eam subinde congeserat, illam apud animum certo confiruisse opinati sunt nonnulli, quod coelibatum magis quam nuptiis, & Republice & sua gloria posset consulere. Vtique prævidit, si subito nubereb, sibi ex disparitate dedecus contracturam & ad domesticas similitates & turbas faces accensuram. Si extero, & se & populum externo iugo subjecturam, religionemque in periculum devocaturam; non oblitera, quam infelix fuerit Marie Sororis cum Philippo extero connubium; & quam infamum illud pro avi Edwardi IV. qui primus Regum Anglie à Normania via storia, subditam in uxorem accepérat. Gloriam etiam, que sibi innupere integræ & indelibata mansit, in maritum nuptiis transcribendam timuit. Præterea pericula ex conceptione & puerperio à medicis & mulierculis ex abditis causis objecta, quæ s'c' ante mo observabantur, admodum deterruerant.

VI. De



VI. De Religione statuere Principem, ratio status non prohibet; verbo Dicitur iudice. Mariana Lib. I. de Rege & Regis Institut. c. X. De Religione inquit nihil Princeps statuat. Sed fallitur ille verbo; quo soli Pontifici Religionis arbitrium afferit. Frustram; nam & sacrorum cura pars civitatis est; Majestatis regenda imperio. Aristoteles Lib. VII. Polit. c. VIII. Praesertim ea gloria, etiam in novo Foedere, Constantinus Imperator, convocata Nicææ Synodo. De qua ita Eusebius de vita Constantii Lib. III. c. XIII. Cui igitur multa essent ex utraque parte proposita, magna est controversia in ipso disputationis ingressu concitata: Imperator toleranter ac placide omnibus animum attendere studio ac ripollas sententias sensim exciperet: vici sim ferrè opem utrigi, disceptantium partem, eos magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliare: conferre cum singulis cōmitem & benigne sermonem; usq; eo, ut tandem eos in omnibus rebus, quæ in questionem aliquando vescerent, cum conspirantes animis, tum opinionibus adeo consentientes redderet, ut non modo concors fides inter eos pigeret, sed etiam unum idem tempus in salutari festo Paschatis celebrandum observandum ab omnibus concederetur.

VII. Diversas admittentes in provinciam Religiones, cum nequeant vitari, ratio status est; ne ejectis colonis, vastitas atque solitudo in agros inducatur. Campanella de Monarchia Hispanie. c. IX. & Mariana Lib. III. de Reg. & Regis Institut. c. XVII. factum improbat, & mala inde Galliae Germaniæ accusant; immemores suarum cladem, quas rigidior illa Hispanica inquisitio influit. Sed de Gallia Foxium illi Gallum, in gravissima ad Regem oratione audiant; quæ Thuanus Lib. LIX. edidit. Ex quorum consilio, inquit, re de diversarum religionum concertationibus, votis in hoc consistorio agitata placuit, ut ad placandam DEI iram & turbas in regno componendas, mitigata Legum severitate, pax aequis conditionibus sanctaretur; edictaque ea de re conderentur; quorum aequitas atque utilitas uel ex eo estimanda venit; quod illi statim factis quies Gallia pars est; violatis; bellum per totum regnum repente exarst. Idem Germania testatur, prout Passavensi Transactioni & Pacis Religiosæ conditionibus aut stetit, aut inde recesist:

VII L Usitata sed impia ratio status est, religionibus Gentes
vicinas concitare atq; collidere. Id Hispanus, id Gallus a-
git. Rohanæus Trut.stat.Europ.discurs.i. In Gallia, ubi multis sunt
Protestantes, Catholici tamen primas obtinent, Rex ab Hispano
timulandus est, illos ut expellat: Papa monendus ut idem apud Re-
gem urgeat; simul etiam Protestantes animandi, iusq; auxilia pro-
mitenda quo bellum intestinum inde suscitesur. Quod si Rex hoc
olfaciens, eò trahi nequeat, cum Catholici ipsi aduersus Regem sunt
conscitandi, ut pote talem, qui hereticis plus nimio conniveat, viri-
bus omnibus illis assistendum; Papa etiam, si fieri potest, implican-
dus. Anglia in Flandria & Hispania collegia erigenda, ubi in Reli-
gione Catholica diligenter informetur juventus, speciale munificen-
cia; hac etiam Theologia inculcanda, Martyrii coronam & Para-
disum ipsum promereri, dummodo Hispanica potentia serviat. In
Germania Imperium penes Donum Austriacam conservandum
sub velo religionis & quasi hisce medie Christiani contrà Turcas de-
fendantur. In Helvetia Catholicis insillanda spes est, Protestan-
tes ipsis in prædam detinunt. In Belgio, longevis armorum indu-
ciis, schisma quoddam spargendum. His contraria omnia Gal-
lus ac amat studetq; Discurs. II.

I X. Ad rationem status pertinet Jus Regis I. Sam. VIII. v. XI.
R. Jose in Gemara Sanhedrim. Quicquid dicitur in capite de Re-
ge, ejus Rex jus habet. Salmas.c.ii.Defens.Reg. Ita ergo & Regibus
pro Amplissima & infinita, qua prædictum est jus regium potestate,
omnies licent, cum possint se velint; magis etiam expedit, illo sumo-
mo jure non uti, & licentia quam habent non abuti. Si jus Regium
apud Samuelem exponendum est, non de nudo facto. Scilicet
cum aut dignitas ita regia, aut necessitas aut salus Reipublicæ
est, tum demum usurpare hoc jus, cum modo rationis Regibus
licet.

X. Ratio status est, Legem ferre non severæ Justitiae magis,
quam moribus hominum conformem; Sin minus, non obser-
vabitur. Quia Lex nullam vim habet, qua impellat ad paren-
dum, nisi quam à more acceperit. Aristoteles Lib. II. Politic. c.
VIII. Sic Campanella de Monarchia Hispanic. c. XI. Populi Se-
ptentrionales amant leges humanas, & volant verecundia potius
eegerere quam vi. Proprie hanc causam Belgium Dux Albania
pejuna



peſſundedit. Meridionales, ſicut Vandaloſi ſtrictum ius amant.
Itali item Lufitani & Cantabri mediorū civitatem expéſunt.

XI. Legem violare aliquando, ratiō ſtatus eſt; ne conservan-
da Reipublica cauſa lata, ad perniciem civitatis conſerat. Exem-
plum Epaminondas eſt, de quo Nepos invita ejus. *Hic cum*
imperium eſſe abrogatum, argu in eorum locum ali prætores ſuc-
ceſiſſent, Epaminondas Plebiscito non paruit; idemq; ut facerent; ſu-
peruiaſis collegio, & bellum quod ſuſcepere a gesſit. Posthabita Le-
ge Thebana, qua mors multabat, ſi quis imperium diuſius reſi-
nuiſſet, quam lege praefniſum foreſ. Namq; animadverſedat, ubi
ad feciſſet, totum exercitum propter prætorum imprudentiam in-
ſcribamq; belli periturum.

XII. Clementiam ante Iuſtitiam ponere, ratio ſtatus eſt.
Diversum præcipit Jacobus VI. magnæ Britanniae Rex Lib. II.
dæcimā dārpa. In transgrefſores, inquit, exerce leges, dein miſe-
ricordia templa, cum ſenſerit populus, te ubi uſu eſt poſſe ferire.
Nam ſi ab iniſio clementiam oſtentem, cr̄cet in immensum delin-
quentium numerus; crescat tui conſentimus; & cum punire volueris, o
major erit ſonrium quam inſontium numerus; nec promitem eris
decerneſo, unde facere oporteat iniſum pñna. Atq; ita muliſ pe-
des impunita, quos tempeſtiva paucorum poena ſervare potuifſes. Præ-
ſertim in delictu majorib; quia nunquam ſint ſine poena; ut ma-
gia, homicidium deliberatum, inceſtus intra vētites conſanguini-
tatis gradus, exhibitiō veneni, adulteratio moneta, paderatia.
Sed obſta sapè ratio bellī, & novum imperium inchoauitibus uiliis
elementis ſama. C. Tacitus IV. Histor. c. LXIII. n. II.

XIII. Scelerā aliquando impure transmittere, ratio ſtatus
eſt. Nam ut in humano corpore morbos aliquos toleramus, ne
totum medicinis impar ſuccumbat; ſic labes & vitia Rerum
publicarum ferenda interim, aut in commodius reficienda tē-
pūs, dū citra invidiā & sine tumultu vindicentur. Ita Cæſar Lib.
III. de Bell. civil. c. LX. neque tempus illud animadverſionis eſſe ex-
igimant. & multa virtuti eorum concedens, tēpū ſequens
totem

toram. De Appio Livius Lib.II.c. LXI. Semel causam dixit, quod
semper agere omnia solitus erat accusatorio Spiritu; adeoq; confan-
tia sua & Tribunos obstupefecit & plebem, ut diem ipsi sua volun-
tate producerent: trahi deinde rem sinerent. Idem de Junio
Bruto Lib. XXIII. c. XIV. Ad ultimum prope desperatae Reipubli-
ca auxilium, descendit equo dixitque: Qui capitalem fraudem
aus, quig; pecunia judicati in vinculis essent, qui eorum apud se
milites fierent, eos noxa pecuniag; se exsolvi jussurum.

XIV Magnos viros sceleratos & opportunos vindictae, clama-
potius tollere & ex improviso, ratio status est. Nisi enim impru-
dentes opprimas, qui ja professo in te odio sunt, quæ parturue-
nt haetenus hostilia, audebunt, & plures in societatem sceler-
tis trahent. Talis Lentulus cum sociis periit in carcere quod
TULLIANVM appellatur Sallust de Bel.Catalin. De quo ita
Appianus Lib.II.de civilib.Romanor.Bell. Veritus itaq; Cicero,
ne instantे nocte aliqua conjaratorum manus in foro exsureret, ac
pro illis pariter & seipso sollicitus, ne quid dirum, aut foedum moli-
rentur, utilius esse vias, cum Senatus in curia adiuc esset, celeb-
er nullo iudicio rem confidere, unumquemq; ex conjuratis in carce-
rem deduci imperat, ibidemq; multitudine inscia supplicio affect.
Polibac in forum delatua palam eos interiisse significavit. Ceteri
metu territi, ac sibi ipsis præcaventes hinc inde dilabuntur; eoque
modo civitas à trepidatione, qua cuncti eadom die potissimum in-
sticerat, paulisper respiravit.

XV. Nulla ratio status est, Subditos trucidare Regem; invi-
olabile & sacro sanctum caput, quamdiu tenet imperium. Bu-
chananus quidem de jure Regni apud Scotos, hunc morem Sco-
tis legitimum affirmat: Possem ait, enumerare duodecim, aut etiā
amplius Reges, qui ob scelerata & flagitia, aut in perpetuos carcères
sunt damnati, aut exilio vel morte voluntaria justas scelerum pa-
nas fugerunt. Sed ne quis vetera & ob soletame referre caueatur;
Si Culenos, Evenos, & Ferchardos commemorem, è patrum nosro-
rum memoria paucos proferam. Jacobum tertium omnes ordines
jure

jure casum in convientu publico judicari non est dubium, quin ad exemplum in posterum proponi voluerint. Sed facta ille Gentis sue, non justitiae decora jura demonstrat.

XVI. Honores venales habere, ratio status est; ut exhaustum reficiatur ærarium. Bodinus Lib. VI. de Republ. n. DC. LI. *Omni-um tamen sordidorum mercatura generum, que multa ac varia sunt, nullus sordidius nullus turpis nullum destabilig magistratu[m] & honorum mercaturæ; que nunquam tolerabilis esse potest, nisi extremis temporibus, ut saluti recipublica consularit; quo Venetos Reipublica calamitates adegerunt, ut honores & imperia proscriberent. Ladovico Rege Francorum gravissimis bellis premente: nam totos septem annos publicis rationibus paulo minus quater millies expensæ tulerunt; cuius summa decimam fore partem ex honorum mercatura quiescerunt. vigesimo post anno Franciscus major Rex Francorū Praturas urbanas hujus imperii bisfariam divisi, & utrasq[ue] proscriptis, ac sensim cetera quod[rum] venalia fuerunt.*

XVII. Consiliū Gratiae, supra consiliū Justitiae attollere ac reddere sublimius, ratio status est. Quo pluribus ex omni gente cōciliatis amicis insistat Respublica, mandato optimis quibusq[ue]; convenienti munere. Campanella de Monarch. Hispan. c. XII. *Cum Hispani solentes sint in rebus subtilibus, quæq[ue] verbis opus habent; Germani autem in rebus quæ manugerruntur, laboremq[ue] requirunt; Itali in rebus ad gubernandum spectantibus; entendum est Regi, ut pro hac diversitate consilium quoq[ue] ordinet. Dico igitur, consiliū rēnanticæ & maritimæ spectans, Lusitanis & Genuensibus potissimum deferendum: Illud vero quod ad artes mechanicas, ignes artificiales & machinas spectat, Transalpinis demandetur; at quod rerum gubernacula concernit, Italio: quod vero munimentorum, militarium custodiarum, exploracionum itidem atq[ue] Legationum aut etiam religionis proprium est, ad Hispanos deferatur. Et cum Rex Hispaniarum universi orbis Dominus fieri debeat, omnes gentes ad mores Hispanorum induendos pelliceat, id est faciat, omnes Hispanas.*

XVIII. Ratio status est, magnis Viris forti provincia interdicere, à magna administratione avocare; suspectos specie honoris alio seponere, aut tale quid offerre, quod auferri facile queat. Sic Augustus vetit, nisi permissa ingredi Senatoribus, aut Egitibus Romanis illustribus se posuit Aegyptum; ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam, claustris terre ac maris, quamvis leviprasidio adversum ingentes exercitus infidisset. C. Tacitus II. Ann. c. L. IX. n. IV. Quæ verba quemadmodum accipienda, plenius exponit Dion. Cassius Lib. LII. Præterea edixit, ne quis Senator injusso suo permisus extra Italiā abiret. Honoribus vero exuendi, ne quis supra principem scandat. C. Tacit. IV. Hist. VIII. n. VI. Et quid veta, à segni Galba reperta, convertere in sapientiam? quibus suspectum ille in Poppea Otthonem in Provinciam Lusitaniam specie logationis se posuit? C. Tacitus I. Hist. or. XIII. n. V. De Navarræ retinendo Granvellanus bolitanum Principem atque Albanum Ducem, hæc docuerat; Periculi plenum esse negotium ac plane vitreum: in quo tractando peccari posset non minus aviditate atq; impetu, quam securitate ac negligencia. Proinde sibi videri, in rem esse Borbonio aliiquid offerre, modo id ejusmodi sit, quod auferri possit, si forte is suscepta defletteret via. Strada Lib. III de bel. Belg. decad. I.

XIX. Tributa acerba ἐπικεφαλαια, Fumaria, Σλανεύμα aliquando exigere, ratio status est. Quo, cum omnia sua Republicæ debeant Subditi, durum illud atq; asperum variis nominibus, ac veluti per partes leniatur. Quandoquidem nequies Gentium sine armis, neq; arma sine stipendiis, neq; stipendia sine Tributis haberiqueunt. C. Tacitus. IV. Hist. c. LXXXIV. n. II.

XX. Ratio status est feneratores tolerare; ut egestati Republicæ subveniant. M. Zuerius Boxhornius de Trapezit. Sed Trapezit as tandem denuo admittere coacti sunt magistratus, ob summam, quam effugere voluerant, & effugere se non posse experiencingo quotidie discebant, necessitatem. Quæ ex necessitate ejusmodi conduntur, leges temporum non hominum, Tullius appellavit. Ita mensa Trapezitica ex necessitate admissa sensenda est potius tēporum

porum, & eorum iniquitate utentium Trapezitarum, quam magistratas. Quis nescit illud verissimum Publius Syri? Necesitas legem dat & non accipit. Quae tolerantia cum suspecta videretur Maresio, non immerito à Graswinckelio confirmata est.

XXI. Ratio status est, donaria Subditorum aliquando nec negligere nec capere planè, etiam si necessitas suadeat. Ne aut superbia illic, aut hic arguitur indigentia. Suetonius in Octavio c. LVII. In restitutionem Palatine domus incendio absunt, veterani, decuria, tribus, atq; etiam signatim è cetero genere hominum, libentes ac pro facultate quisq; pecunias contulerunt: delibante Augusto tantummodo summarum scervos, neq; ex quoquam plus denario auferente.

XXII. Peregrino milite stipare latus regium alicubi, ratio status est. Si forte tam levi atq; infida indole regni nascantur populi, aut proximi quiq; struant insidias. Aristoteles Lib. V. Polit. c. X. Peregrinam custodiam ad Tyrannidem interpretatur. Sed præclarè Boeclerus Annot. in C. Tac. Ann. I. c. VII. n. II. Id incaute non est accipiendum & absolute, sed consideratis causis & circumstantiis. Prudenter enim sanè miscentur interdum civibus peregrini, sicut Germanos Augustus & alii misericorditer ceteris, incidentis causa, ob quas merito & sine proposito tyrannico, ad externa nationis custodias decurrerunt.

XXIII. Ratio status est, alicubi Delatoribus uti. Plato Lib. III. de LL. Maximè inter initia imperii; ut ab insidiantibus Principes caveant. Tanta latebrae humani animi sunt, nec usquam tuta securitas. Seneca Ep. XCI. Bellum in media pace confligit, & auxilia securitatis in metum transeunt; ex amico inimicis &c. Invadit temperantissimos morbus, validissimos probhists, inodcentissimos pena. Itaq; & Alexander Severus, de omnibus hominibus, per fideles homines suos semper quasivit, & per eos quos nemo nosset hoc agere. Lamprid. in vit. Ejus. c. XXIII.

XXIV. Militēm donis allicere aliquando, quam ex virtute sumere, ratio status est; Ne sollicitatus alio fletat ac deferat. Sic militem donis conciliat Augustus. C. Tacitus I. Ann. II. c. II. v. Nam ubi miles, ibi imperium; caceri serviant Aristoteles Lib. VII. Polit. c. XIV. Unde Maximus Tyrius dissertat. XI. Cretenses quando liberi fuerunt? cum armis gererent, cum sagittare audirent, cum venari. Servi quando? cum agricultura operam darent. Quando liberi fuerunt Athenienses? Cum Cadmeos oppugnarunt, Jonas in colonias misérunt, Heracidas exceperunt, ejecerunt Pelasgos. Servi quando? cum exceptis armis Pisistratida agricultura incumbere, populum corgerunt. Incepta vero illa Galba vox, legi à se militēs non emi; nec enim adhanc formam carera erant. C. Tacitus I. Hist. V. n. V.

XXV. Alienæ Rēspūblicæ ministros sibi adjungere benevolentia, ratio status est; ut si quid sequius inciderit, & hi mala nostra avertant salutari monito: Sed corrumpere nefas est. Hugo Grot. Lib. III. de jur. Bel. & Pac. c. I. n. XXI. & n. XXII. Semper qui alteri peccandi causam dat, peccat & ipse: Aliud est si quis opera sponte nec suo impulso peccantis ad rem sibi licetam utatur: quod iniquum non esse Dei ipsius exemplo alibi probavimus.

XXVI. Prīncipes ipsos ad foedera & colloquia mutua haut facile congregi, ratio status est, ne invicem invidia sint. Comitatus Lib. II. c. VIII. Stule pari potētia prīncipes faciānt, cum in colloquium convenienti ipsi, decurssi p̄fserint adolescenti annis, jocisq; & lusibus, quibus ea arta est dedita, emulatione succedente, neq; sine periculo contingat, neq; si id absit, opere precium aliud sit, quam invidia odiumq; majus. Sicut commodius p̄tem controversias inter reges, & si quid aliud negotii est, per legatos Viros prudentes compont, ipsos vitare colloquia ea, si salvam amicitiam cupiunt. Fieri enim non potest, quin inter aulicos de pr̄teritis sermo recurrat, non absq; molestia jurgitisq;. Aliis splendoridior sit cultus necesse est; inde joci salesq;. Lingua, moribus, institutisq;, discepantibus eadem placere quā possint? Princeps alter altero honestioris facie, decentioris cultu est: illi predicari à multitudine
jucun-



jucundum est, viceperari ingratum alteri. Dimisso conventu hæc
jactantur, primum occulte, deinde palam & in circulo. Nobile nim
eam arcanum est, quod non effatur in vulgus prodeat. De ex
emplis, ipsum Cominæum adi.

XXVII. Ratio status est, ad dirimenda vicinoram dissidias
se offerre Principes: ut apud utrosq; inita gratia, undiq; regno
securitatem circumdeat. Illæ vero impiæ Philippi artes; de
quibus Justinus Lib. VIII. His ita gestis forte evenit, ut eum fratres
duo reges Thracie non contemplatione justitie eius, sed invicem me
ruentes, ne alterius viribus accederet, disceptationum suarum judicē
eligerent. Sed Philippus more ingenii sui, an judicium velut ad bel
lum, inopinantibus fratribus, instruto exercitu supervenit; & regno
uerumq; non judicis more sed fraude latronis ac sceleres poliavio.

XXVIII. Ratio status est, Speculatores sub nomine legato
rum, deprehensoris dimittere, cum possis tollere; Ne male au
dias. Sic cum Volscos Speculatores deprehensoris judicarent. Romanæ
eæteri dignos suppliciis, Postumius negabat, bonis viris imitandans
malorū improbitatem: satius esse dicens & magnanimitis viris dignius,
eram in eos qui miserint servare, quam in missos effundere; & ob no
men Legationis, quam palam præferant, dimittendos eos potius
quam sacerviendum propter teclum speculationis facinus; ne Volscis
detur honesta belli occasio, simulaturis legatos esse cœsos contrajus
Gentium; nec altis inimicis occasio præbeat ur spargendi, quanquā
falsi, non tamen ratione ac fide carentis rumoris.

XXIX. Foedera rumpere aut fidem fallere, non nisi impia ra
tio status est. Evidem his artibus Principem suum imbuimus
Machiavellus c. XVIII. Quocirca ad omnem ventorum & fortunæ
conversionem versatile ingenium Princeps habeat est necesse, & (ut
jam dictum est) ab eo quod bonum est ne discedat, at si necessitas
urgeat, edocet usq; & malum avertire. Sed Principem ille non
bonum format. Quod si homines à se alienant, & Deos fibred
dunt

Aunt inimicos, qui religionem violante, quomodo rebus suis consulent? C. Nepos in Agesilaos.

XXXV. Pacem ubique praeserre, aliquando & inducias pacisci, ac interim bella parare, ratio status est: nō ipsæ induciarum conditions aliter convenerint. Nam juris Gentium est contra ledentem sibi consulere Gebhardus in not. ad Agesilaos. Nepot. Hec agitur cum primis diligenter est observandum rerum publicarum moderatoribus, ne ignorent consilia eorum atq. proposita, qui vel iniunctias finiunt vel amicitias ineunt; quando nimis tempore cedentes, quando item revera animis fracti pacem faciane: ut ab illis quidam caveant, tanquam ab insidiatoribus temporum; his vero fidem habent, & si quid incidet, tanquam veris amicis aut subditis imperent. Polyb. Lib. III. Hist.

XXIX. Ratio status non nisi perversa est, disseminare bella inter Subditos. Caussas Campanella exponit c. XVII. Primo quia regem crudelissimum tyrannum reddit, qui sibi soli, non vero universo populo propiciat; ita ut per mutuum subditorum odium non amor in regem, sed timor & invidia accendarur. Secundo quia dominium naturale concordiam inter populos exposcit, quo firmus in propulsandis inimicis persistant, atq. unus alium domi militiet, mutuis officiis sibi devinciant. Quin & periculum est, ne intellectis artibus proprioque errore agnito, in disseminantem subditorum arma redeant.

XXX. Hostem quandam amico ulcisci, ratio status est. Nam amicorum odia vehementissima: & explorata fortitudo juxta atque imbellia. Sic Justinianus Imperator Sandilcho Hunno adversum Zabergam Hunnum usus, omne Hunnorum nomen delevit. De quo Agathias Lib. V. Vigente vero abduc seditione & Byzantium renunciata, tum demum cognita fuit, manifesteque declarata Imperatoris prudentia & consilii rectitudo, quod nimis Barbaris se invicem confidentibus ipse arma non movens, vicit omnino consilio in usrag. belli inclinatione & positus est suā spē.

Ad



*Ad
Generosum Juvenem*

BOGISLAUM
à SOMNIZ
Equitem Pomeran.

De
RATIONE STATUS
disputantem.

I, fortèm contende gradum; vestigia magni
SOMNIZI fratris sequeris: quid sanguine tantum
Jungi optes? studiis & doctæ mentis honore
Plus fratrem ferre decet. Sic Castora virtus
Æmula Pollucis stimulis majoribus egit,
Instinxitq; animos, ne fratrem solus amaret,
Verum instar simul ipse suum. Nec parva movebis
Gaudia, BOGLSLAE, Tuo, cùm volvere chartas
Has dabitur, pariterq; ipsum se cernere in illis.
Fallor, an hoc etiam adjiciet: *quod culmen adeptus*
Nunc teneo, hoc spondet Frater tibi semita fratris.

Raptim f.

Augustus Buchnerus

Ad

Generosum ac Nobilissimum

Dn. BOGISLAUM à SOMNITZ,

RATIONE STATUS
disputantem.

Flecterat em; ferit unda Deos. Quid saucia ventis
Vela per obliquos cessas inducere fluctus?
Dum jacet, æquor ama: simul at venientibus Austris
Fulminis incumbunt alæ, cirumspice littus.
Non solæ expedient Recti discrimina curæ,
Gum lavit fortuna ferox; accedere fatis
Una salus miseris. Tu portum fortiter intra
Mille per ambages, quo tantæ pondera mentis
SOMNIZI inclinant; Sic serves publica vitor.

M. CASPAR. ALEXANDRI.




94 A B 78



sb.

bmt

PP
Okt 1999



Farbkarte #13

B.I.G.



16
88

**HYPOMNEMATA POLITICA,
DE
RATIONE STATUS
PRÆSIDE
M. CASPARE ALEXANDRI
publicè disputabit
BOGISLAUS à Comnig
in Auditorio minori,
ad diem V. Octobr.**

WITTEBERGÆ, Excudebat Johannes Hake, 1653.